SERENISSIMO PRINCIPI

LUDOVICO

BURGUNDIÆ DUCI

GALLIARUM DELPHINI FILIO


CHRISTIANISSIMI REGIS

LUDOVICI XV.

NEPOTI

CARMEN GENETHLIACUM.





ROMÆ MDCCLII.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI
IN FORO SANCTI IGNATII
SUPERIORUM FACULTATE.

PETRO GUERINO TENCINO
CARDINALI
ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI
Ordinis Spiritus Sancti Equiti Commendatario.

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS
EQUES TORQUATUS ARCHIDIACONUS EBORENSIS
S. P. D.




UM non ita pridem, PETRE GUERINE *Cardinalis Amplissime, Carmen Genethliacum* SERENISSIMO BURGUNDIÆ DUCI *dicatum, ab amico homine conditum legerem & pervolutarem,*

tanta voluptate perfuſus ſum, ut nihil umquam legerim jucundius. Mirabar viri clariſſimi tum in pangendis carminibus facilitatem, tum Latinæ linguæ nitorem, tum etiam divinum illud neſcio quid, quod in toto carmine fuſum animadvertebam: illudque meditando reperiebam, Poetam noſtrum quatuor illa feliciter, & acri judicio complexum fuiſſe, quæ magnos Poetas facere ſolent, numeros, nervum, candorem, venuſtatem. Ut mihi carmen ipſum non hujus ſæculi eſſe, ſed aurea Poeſeos Latinæ ætate natum, idque in media Urbe, eſſe videretur. Augebat etiam voluptatem carminis argumentum, quod CHRISTIANISSIMORUM REGUM *laudes, quæ neminem non in admirationem ſui rapiunt, mira arte perſequitur inluſtriores. Plane ut mihi perſuaderem, aliquam me a Gallis clariſſimis, aliquam a Poetices ſtudioſis gratiam initurum, ſi carmen ipſum vulgarem. Quid te morer pluribus? Conſtitui illud in lucem emittere, ſi per conditorem liceret. Quod ipſum ab homine humaniſſimo cum gratia impetravi. Illud autem ut in tuo nomine ederem duo me moverunt. Primum materies ipſa carminis. Cui enim tale poema inſcriberem, niſi clariſſimo ac præſtan-*

tiſſi-

tissimo viro, de Gallis suis optime merito, qui & Litterariam, & Civilem rempublicam tanta cum laude administravit? Deinde vetera, & bene multa officia erga me tua, quæ jampridem aliquid a me flagitare videbantur, quod sub tuo nomine appareret; ut exstaret monumentum aliquod, quod meam in te observantiam, & gratum animum ostenderet. Munusculum igitur ejusmodi, PETRE GUERINE, *ad te mitto, si primum te doceo, poematis auctorem esse Joannem de Luca Venetum, coram* PONTIFICE MAXIMO *Examinatorem Episcoporum, hominem & sacris, & profanis litteris doctissime eruditum, magnum Franciscanæ familiæ, magnumque urbis Romæ ornamentum. Vale, Cardinalis amplissime, doctissimeque, & me, ut facis, amare perge. Roma pridie Kal. Decembr. A. C. N.* MDCCLII.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constant. Vicesg.

Mandato Reverendissimi Patris Sac. Apostolici Palatii Magistri, ingenti cum voluptate legi Genethliacum hoc Carmen a Rmo P. Joanne de Luca Veneto Episcoporum Examinatore conscriptum, in eoque Virgilianam elegantiam, nitorem, ac majestatem demiratus sum. Itaque Auctori, qui singularem in rebus Theologicis praestantiam cum summa Poeticae Artis facultate conjungit, absolutissimum opus gratulor, & luce publica dignissimum censeo; cum sit nihil in eo a me repertum, quod aut Fidei Catholicae, aut bonis moribus adversetur.


Romae e Collegio Romano Idibus Decemb. MDCCLII.

Josephus Maria Mazzolarius e Soc. Jesu Rhetoricae Professor.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena, Magister Socius Rmi P. Magistri Sac. Palatii Apostolici Ordinis Praedicatorum.

CAR-



CARMEN GENETHLIACUM.



LLUSTRES animæ, quas vexit ad æthera virtus,
Borbonidum, & quarum felix ingentibus auſis
Gallia jam ſupra populos caput extulit omnes,
Linquite Cæleſtum ſedes, parvumque Nepo-
Viſite, qui primis implet vagitibus auras. (tem
Majeſtate oris vultum Genitoris, Avique,
Et veſtros nunc ille refert: virtutibus olim
Vos referet Juvenis veſtigia nota ſequutus.
Sic ruet adverſas acies, ſtrageſque feretur
Per medias, ut vos quondam, cum, fortia bello
Pectora quid poſſent, Batavuſque, Angluſque viderent,
Heu nimium pelago confiſi, & fœdere iniquo.
Sic quoque per populos pacis dabit ille volentes
Jura pius, miroque Dei ſuccenſus amore.
Nempe hoc relligio amborum manifeſta Parentum,
Hoc Aviæ pietas, & cura antiqua ſacrorum,
Hoc & certus Avus Latios defendere ritus
Portendunt. Quantus Puero vigor? en ut ocelli
Igne micant, ut frons, utque ora, genæque Parentem
Magnanimum ſpirant: quamvis quoque poſſit in illis
Cognoſci Mater, genus alto a ſanguine Regum
Saxonidum, Francis decus, & ſpes addita terris.

Scilicet æthereas Pueri venientis in auras
Et color, & ſpecies, vultuſque, & lumina magnos
Promittunt animos, & dignos ſanguine mores.
Qualis ubi ingenti Syla, ſummove Taburno
Exeruit tenerum rupta tellure cacumen
Surculus, enodi ſi vivida ſtipite virga
Explicet & frondes primas, erectaque ſurgat,
Arbor erit, valido quæ robore tendat in auras
Contemtura notos, actoſque aquilonibus imbres.
Ipſa etiam ſummi Proles æterna Parentis
Alma Parens mundi, qua præſide cuncta geruntur,
Nata vigent, auctuſque ſuo de ſemine ducunt,
Afflavitque animam Puero, dignumque paravit
Hoſpitium, & teneros effinxit corporis artus.

Eſt locus, aſpectu gaudent ubi Numinis omnes
Cælicolæ, caſti quondam, dum vita manebat,
Aligerumque chori ſedes tenuere beatas:
(Quippe æterna Deus brevibus dat præmia curis.)
Hic Patris humanas fingit Sapientia mentes
Diva operum ſolers, ornatque in corpora ituras.
Ergo ubi DELPHINO ſimilem petit anxia Natum
Gallia ſuppliciter triſtis, Divoſque precatur;
Conceptuſque dedit ſignum cariſſima Coniux;
Adſtitit ante Deam (1) ſtirpis LUDOVICUS origo
Borboniæ, (2) quem, dum Chriſti nova bella moveret
Hoſtibus, atra dies raptum demerſit acerbo
Funere, nunc ſolio ſtellantis regia cæli

Acci-

(1) Divinam Sapientiam intellige, quæ Deus eſt, ac Dei Filius. Dixit autem Poeta *Deam*, ne inconcinne, minuſque carmini congruenter *Sapientiæ* generi feminino maſculinum *Dei* ſubjungeret: ita ſummos Poetas, eoſdemque Catholicos imitatus.

(2) S. Ludovicus IX. Galliæ Rex, cujus e filio natu minore Roberto familia Ducum Borboniorum deſcendit. S. Ludovicus bis intulit bellum Saracenis, quorum in altero peſte correptus in Cœlum evolavit.

Accipit, & numerum Divorum altaribus auget:
Ad quam tum supplex LUDOVICUS talibus infit:
Cara Dei Soboles, mundum quæ numine torques,
Si tibi nos quondam, si nunc tibi Gallia cordi est;
Nec sumus indecores regno, quod sanguine fuso
Artubus humanis per vulnera quinque parasti, (1)
Vulnera, quæ letho informi gens impia fecit,
Nunc tibi sunt eadem radiantia sideris instar;
Ad te confugio, & sanctum mihi Numen adoro,
Ut pro composito terraque, marique tumultu,
Pignore pro certo pacis mihi ludat in aula
Parvulus, & longum populis det jura quietis,
Post centum magnos volvendis mensibus orbes,
Cum Patrem, & Patris Genitorem hæc regia seros
Accipiet: vel bella gerat, si bella gerenda
Pro re Romana, pro majestate suorum.
Præcipue sunt heroum tibi corpora curæ,
In quibus & populi, & regum fortuna recumbit,
Sunt animæ. Ergo animam numquam virtutis egentem
Da Puero, atque suis aptos finge usibus artus.
Talibus orantem dictis, atque oscula dantem
Vulneribus magno Soboles æquæva Parenti
Hinc atque hinc niveis Regem complectitur ulnis.
Inde refert: O ante alios flos optime regum
Care mihi, cujus merito pars maxima nostræ
Semper erunt curæ populi, quos Gallia nutrit:
Haud indigna petis: dabitur tibi, nate, quod optas.
Borbonidum soboles (ultra ne quære doceri)
Armipotens late terris regnabit, et alto,
Dum pietatis honos illi, et mea sacra manebunt.
Hæc ait, atque animam Puero aspiravit, & artus,

Con-

(1) Ecclesiæ regnum intellige, quod Filius Dei acquisivit sanguine suo.

Connubii quos lege Pater, Genitrixque dederunt,
Composuit miscens auramque, atque ætheris ignem.
Ergo Deæ (1) donis, & tanto lætus honore
Rex pius alloquitur venturum in luminis auras:
Parve Puer gaude: tibi enim, tibi munera larga
Multa manu dedit ipse Deus, similesque paternis
In te fudit opes, & avitæ semina flammæ:
I felix, quo te repetentem exempla tuorum
Magna rudimenta, & paribus quoque gloria factis
Extendenda vocant, stimulisque potentibus urgent.
Ille, viden'? chlamyde, & pictis spectabilis armis, (2)
Cum jam deficeret series longissima Regum,
Gallia Valesiæ multos ab origine gentis
Quos habuit, longo mihi proximus intervallo
Ivit in imperium nostro de sanguine primus
Borbonidum: hic olim furiis Acheronte remissis,
Externisque odiis, patriisque erroribus actus
Sæviit: at ritus Latios post horrida bella
Accepit tandem, & Domino parere Quiritum
Sustinuit, finemque dedit civilibus armis.
Proximus ille, suis Justus cognomine dictus (3)
Francigenis, idem & Superum justissima cura.
Cum stygiis emissus aquis per tecta, per agros
Iret ovans turba capitum, tumidusque veneno,
Ipsum etiam Regem frustra circumsteterit Anguis:
Vipereamque animam populo inspiravit, & arma
Impia sumentem bello certare subegit.
Monstrum horrendum, ingens non uno contudit ictu
Magnanimus Juvenis, Regique, Deoque rebellem
Subjecit populum, & dominos jam ferre coegit.

Nequi-

(1) Vide primam adnotationem.
(2) Henricus IV. Galliarum Rex, primus e familia Borbonia.
(3) Ludovicus XIII. Henrici IV. filius.

Nequidquam Rupella Anglo confisa fugaci,
Et male tuta freto, pelagi pro turribus undas
Objecit Regi, atque hostem differre parabat.
Namque furens animis aderat LUDOVICUS, & omnem
Accessum lustrans huc arma ferebat, & illuc.
Fecit equis, fecitque viris iter ille per æquor
Molibus impositis, & mœnia milite cinxit,
Attulit & bello finem, victisque salutem.
At cui pulchra nitet cælata in casside laurus,
Pictaque Relligio calicem tenet, astraque dextra
Signat agens currum, viden' ut vigor igneus olli,
Luminaque ultorem spirant ardentia Martem?
Hic vir, hic est, (1) quem sæpe manu sensere potentem
Germani, Batavumque acies, fusique Britanni.
Ille inter densas per aperta pericula naves
Navibus invectus, peditumque, equitumque catervas
Ferro aditum rupit: veluti cava dividit igni
Nubila, & horrenti percurrit lumine nimbos
Cum tonitru fulmen, turresque, & tecta domorum
Disjicit: aut rupto violentior aggere torrens
Obvia quæque rapit. Circumjacet ostia Rheni
Tuta situ regio, defensaque flumine vasto,
Aggeribusque maris, quos in discrimine belli
Submovet, & pelago late obruit arva sonante
Gens infracta malis: hostes hinc temnere Gallos.
Fluminis in ripa Batavum consederat agmen:
Nec tulit hoc heros animis, celeresque per amnem
Ire in equis turmas, Batavosque lacessere pugna
Imperat: invadunt equites, ac jussa facessunt. (2)
Fertur aquis sonipes, Gallumque exponit in ulva.

Nec

(1) Ludovicus XIV. Ludovici XIII. filius, cognomine *Magnus*.
(2) Admirabilis Gallici exercitus per flumen Rhenum trajectio in expeditione Batavica anno 1672.

Nec mora, diffugiunt hostes, & castra relinquunt
Mirantes animosque virum, & luctamen equorum.
Inde (fide majus) terdenis arcibus heros
Vi potitur. Quid non Gallorum interrita cogit
Pectora Regis amor? Sternuntur inertia passim
Corpora, perque vias stragis cumulantur acervi.
Sed tamen illa Viro longe victoria major
Tutari populos, defendere legibus urbes,
Christiadumque sacris infandam avertere pestem.
Hæc pietas, famæ merito pars maxima nostræ,
Borbonidum sustentat opes: hinc vivida bello
Dextra viris, audensque animus, certusque pacisci
Sanguine speratas dubia inter prælia lauros.
Filius (1) hunc sequitur, qui tantum habet illius instar,
Ut, nisi Cælicolum superas venisset in ædes
Ante diem terris raptus, non Gallica quondam
Ullo se tantum tellus jactasset alumno.
Huic comes it Natus pietate insignis avita, (2)
Sacrorum & studiis; quibus ut tremefecerit hostem
Tænarium scribens pro relligione parentum,
Romanus Pater, ac læti didicere Quirites. (3)
Heu Juvenis, tantas animo ne concipe curas:
Projice jam calamum sanguis meus: hic tibi lethi
Causa erit. Et metuens magno commotus amore
Vera canebat Avus: nam funere raptus acerbo
Terdenas Juvenis tantum numeravit aristas.

Nunc

(1) Ludovicus Galliarum Delphinus, Ludovici *Magni* Filius, ante Patrem e vivis sublatus.

(2) Ludovicus Burgundiæ Dux, Delphini Filius, qui ante Regem Avum immature nimis decessit alienissimo Ecclesiæ tempore, Princeps egregie pius, & doctus.

(3) Scripsit ille Diatribam adversus hæreticos Jansenianos, quam typis editam misit ad Clementem XI. P. M. Ludovicus *Magnus*. Cum ejus obitum Pontifex deploraret, ipsum magnopere tum a doctrina, tum a pietate laudavit in Patrum Senatu Purpuratorum.

Nunc, age, & illius Prolem (1) quæ deinde ſequatur
Gloria, te Pater ipſe tuus, Puer alme, docebit.
Namque Avus imperii felix moderatur habenas,
Obſervatque Pater paribus veſtigia curis. (2)
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Ceperit & vallo firmas, & milite Bergas,
Contuderitque Anglos magno in certamine victor,
Aurea condiderit poſitis dein ſæcula bellis,
Narrabit Genitor non inferiora ſequutus.
En hujus, Nate, auſpiciis ut Palladis artes
Gallia læta colit, veterumque oblita laborum.
Ecce peragrato juvenum manus indicat orbe
Deſcriptam radio terræque, mariſque figuram.
Fama volat: miratur Arabs, miratur & Indus,
Extremique hominum Seres, quid Gallica poſſint
Ingenia. Hinc rerum cauſas penetrare latentes
Siquis amet, noſtræ ſcitatum oracula gentis
Huc veniet, libroſve legens arcana revolvet.
His ego te ducibus famam ſperare merendo
Hortor, & ingentes animis aſſueſcere curas.
Quid tibi nunc referam Maternæ nomina gentis,
Invictoſque animos? Scit Sarmata durus, & Albis
Virtuteſque, Viroſque, & bella, & præmia belli.
Et dubitas, qua te generis rapit æmula virtus,
Ire via, Proavoſque Nepos æquare ſequendo?
Id meditans cum te miſſum ſub. luminis auras
Gallia cognoſcet, Divum ſolemnia templis
Dona feret, nec jam capiet ſua gaudia felix:
Romulidumque Pater magno celebrabit honore

Na-

(1) Ludovicum nempe XV., Ludovici Burgundiæ Ducis demortui Filium, Galliarum Regem feliciſſimum, Burgundiæ Ducis recens nati Avum.
(2) Ludovicus Delphinus, Ludovici XV. Filius, Burgundiæ Ducis Puerulì Pater.

Naſcentem, & Superis votum immortale ſacrabit
Pro te, pro Genitore, & Avo : nam pectore cura
Prima ſedet clauſo Europam componere Jano,
Et Gangem ſuper, ac domiti latera ultima mundi,
Oceanique vias Romana extendere ſacra.
Borbonidum auſpiciis, & robore fretus avito
Id ſtruit, hæc Superum poſcit ſibi dona Sacerdos.
O utinam hæc noſtris accedat gloria faſtis.

Dixerat hæc Senior, Pueri cum membra petivit
Spiritus: Infantem peperit mox Regia Conjux.
Tum, quaſi fatidicos animo, quos ille canebat,
Hauſiſſet monitus, ter vultu riſit amico
Ad Matrem Puer, ad puerum lætiſſima Mater.



